

dominus meus dominus dux Wilhelmus et domina genitrix etc. (assunt etiam litterae promotoriales domini episcopi Wratislaviensis), aliam aliquam mutata forma, quam iam hic concepi uti videbitis, et humiliter rogo quatenus attendere et curare velitis, quatenus tam ad sanctissimum dominum nostrum quam ad sacrum collegium cardinalium tales litterae conficiantur et mihi cum copiis suis cum praesentium latore transmittantur. Nam accinctus est iam nuntius ad iter, ut litterae tales in favorem meum et causae meae quantocius exhibeantur. Dominis notariis de suo sollario satisfacere in Dresden quam primum illic venerint omnino curabo. Agite in praemissis uti amicus confidit de amico, mihi in obsequium grata vicissitudine repetendum. Ex Meisna die dominica post Geruasii et Prothasii anno etc. LXXII°.

Vester Henricus Leubing protonotarius doctor decanus Meisnensis.

Beilage 1. Curet etiam prudentia vestra, ut detur littera commendatitia domino Melchiar de Meckaw, quatenus negotium meum fideliter recommissum habeat.

Beilage 2. Rogo dignemini mihi respondere, quam formam inter illas duas sequi dignabitur reverentia vestra, ut secundum hanc me dirigere valeam.

Excellentissimo decretorum doctori domino Johanni Scheybe illustrissimorum principum dominorum ducum Saxoniae cancellario dignissimo praeceptorum suo colendissimo.

Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden.

No. 1166. 1472. 28. Juni.

P. Sixtus IV. widerruft die von ihm erlassenen Bullen No. 1160 und 1161 durch die anderweite Bulle Licet Romanus pontifex variis plerumque suggestionibus circumventus ad multa concedenda flectatur, nihilominus illa postmodum veritate intellecta, si in alieni praeiudicium iuris processerint, celeriter revocat et annullat et ad debitum rationis reducit, prout in domino conspicit salubriter expedire. Dudum siquidem cum parochialis ecclesia plebs nuncupata s. Sebaldi Nurenbergensis — per liberam resignationem dilecti filii magistri Henrici Leubing — notarii nostri vacaret etc. Nach umständlicher Auseinandersetzung der Veranlassung des gegen Dr. H. Leubing ausgesprochenen Bannes und der Amtsentsetzung desselben wird dann fortgefahren: Cum autem fide dignorum relatu plurimorum etiam venerabilium fratrum — cardinalium perceperimus dictum Henricum fuisse et esse in partibus Alamaniae magnae reputationis et famae virum nobisque de illo ex sinistra informatione plurima falsa relata fuisse, quodque non videbatur honori debito convenire tantum virum doctorem rebus ac iuribus Romanae ecclesiae summe faventem, non requisitum non citatum aut auditum — suis iuribus et beneficiis privari et in suo honore ac fama notari, idcirco in melius mutantem sententiam, ut iustitiae locus sit et omnis causa querelae tollatur — motu proprio, non ad ipsius Henrici seu alterius super hoc nobis oblata petitionis instantia, sed de nostra mera liberalitate ac honestatis et iustitiae debito suadente auctoritate apostolica et ex certa scientia singulas a nobis extortas litteras cum omnibus et singulis clausulis in eis contentis — tenore praesentium revocamus cassamus et annullamus ac viribus omnino evacuamus nulliusque roboris vel momenti fuisse et esse — decernimus — ipsasque extortas litteras ac supplicationes, a quibus illae forsitan emanarunt, de supplicationum et camerae apostolicae registris ac alibi ubicunque reperiantur penitus cassamus delemus — et ipsum Henricum in pristinum et in eum statum, in quo antequam ipsae extortae litterae et supplicationes emanarent existebat, restituimus et reponimus etc. Datum Romae apud s. Petrum anno dom. inc. millesimo quadingentesimo septuagesimo secundo quarto Kal. Julii pont. n. anno primo.

Nach dem Cod. ms. 1092 wie No. 1160.